

D. A. G.

DISSERTATIO ACADEMICA

DE

FUNDAMENTIS DESPOTISMII ASIATICI,

QUAM

Suffragante Amplissimo SENATU Philosophico in
Regia, quæ Aboæ floret, Academia,

Sub MODERAMINE

MAG. JOHANNIS
BILMARK,

HIST. ET PHIL. PRACT. PROFESSORIS REG. ET ORD.

In AUDITORIO MAJORI ad diem XIV Maji
Anni MDCCCLXXIII

H. A. M. C.

Publice ventilandam sifit

JOHANNES OLAVI HULTIN,
Vestrobotnienensis.

ABOÆ,

Typis JOHANNIS CHRISTOPHORI FRENCKELL.

§. I.

Quamvis homines sibi ipsis relictæ, nec ullius potestati subjecti, plena fruerentur libertate, alios omnes æquales censentes, & nullius iussa capessere neceſſe habentes; attamen non multo post animadverterunt, quod in iſthoc dignitatis ſuæ fastigio a vera felicitate longe abeffent, & quod ſolitaria vivendi ratio indoli humanae non ſatis conveniret. Sicut enim natura noſtra eſt intime corrupta; ita quoque ex hac labore, tamquam ex venenato quodam fonte, propullularunt variæ vitia, quæ uti ſingula felicitatem generis noſtri disturbare valent; ita coniuncta non potuerunt non eandem prorsus labefactare. Quum itaque contraria contrariis ſint pellenda, primis etiam mortalium consultissimum eſt viſum, ſegregem vivendi rationem mittere, diſpersos ſuos coniungere penates, ſocietates coniituere, atque unitis consiliis ac viribus cum ſele contra imminentes defendere calamitates, tum etiam ſuam promovere ſalutem. Enimvero quum experientia doceret, quod quot capita, tot plerumque ſint ſenſus, & ſuum cuique pulchrum videatur; igitur ut diſſenſiones forte exſtitutæ tollerentur, vitum fuit in rebus, integrum ſocietatem conciernentibus, ſua arbitria unius vel Principis vel collegii, cujus experta atque probata eſſet prudentia, integritas, constantia & cunctis ex æquo benefaciendi ſtudium, judicio ſubmittere, & ſic cum quodam diſpendio ſpecioſae magis, quam utilis, libertatis compendia perennaturæ felicitatis querere. Hæc autem ſubjectio tripli-

plici imprimis modo fieri potuit, vel ut cives plenam, & nullis expressis conditionibus circumscriptam, potentiam Monarchæ suo contulerint, obsequii gloria sibi tantummodo reicta, vel etiam ut imperium Principis certis legibus fundamentalibus fuerit limitatum, vel denique ut minor majorve pars civium in partem imperii, præsertim in causis gravissimis & salutem publicam concernentibus, jure sibi reservato, venerit. In primo casu enatum fuit imperium Despoticum, in eo consistens, quod Princeps de vita & facultatibus subditorum suorum non aliter disponat, quam dominus quicunque de bonis suis, legitimo titulo acquisitis, nec non quod in exercitio potestatis suæ non aliam legem, quam suum sequatur beneplacitum. Unde apparet, quod incolarum conditio in imperio Despotico tota quanta dependeat ab indole ipsius Principis. Si enim Despota fuerit probus & salutis publicæ cupidus, multum certe ad felicitatem publicam conferet; quoniam & potentia gaudet, qua omnia nobili suo proposito objecta impedimenta facile superare potest, & pecunia rerum gerendarum nervo non destituitur, siquidem opes civium pro re nata sibi vindicare potest, adeoque utilia quævis instituta perficeret. At si Despota ideo tantum in honoris fastigio se collocatum putet, ut affectibus suis, saepè ferocissimis, admodum indulget, non potest non subditis suis mala quævis inferre, adeo ut hi, tamquam vilia quædam mancipia, inter extrema quævis miseram quotidie trahant vitam. Hanc Despotismi speciem ita describit illustrissimus MONTESQUIEU: *Quand les sauvages de la Louisiane veulent avoir du fruit, ils coupent l' arbre au pied & cueillent le fruit. Voilà le gouvernement Despotique.* De hoc nunc agere animus est, conatui faveas innocuo B. L. rogamus contendimusque.

§. II.

Postquam generis nostri satores e manu omnipotentis DEI prodiissent, Hic, quæ summa Ejus est in omnes res creatas, præcipue autem in homines bonitas, novis hisce terræ advenis gratissimum domicilium atque instructissimum simul omnium rerum ad vitam sustentandam & saviter transigendam paravit promum condum in fertilissimis Asiae regionibus. Illi etiam præstantissimis tam animi quam corporis dotibus instructi, munieribusque sibi munifice concessis rite utentes, tanta aliquamdiu gavisi sunt felicitate, quanta ne majorem quidem exoptare potuerunt. Enimvero haud ita multo post mutata fuit scena, & Asia, quæ sedes virtutum ac prosperitatis fuerat, conversa est in palestram omnium ferre scelerum. Formatæ quidem successu temporis sunt societates, quæ bonorum præsidia & malorum repagula essent, sed docet Historia Sacra, quod in illis non raro exstiterint tyranni, qui sibi religioni non duxerunt, concessas sibi a civibus vires in horum perniciem adhibere, atque ita pessimantes, quos sublevare deberent. Immo, sicut populorum Asiaticorum adfectus sunt admodum vehementes, ita qui gubernaculis imperiorum fuerunt admoti, plerumque non prius destiterunt, quam illimitatum in subditos suos consecuti sunt dominium, quale etiam successores & posteri horum Principum immuovere non sunt passi, quare etiam in plerisque Asiae regionibus Despoticum obtinet imperium. Quid? Quod experti sint Europæi, quod Principes Asiatici præter Despotismum aliam regiminis formam vix concipere possint, civitates liberas inter signenta vel paradoxæ Politica referentes. Populi vicissim Asiatici Principem suum non aliter ac DEUM quendam visibilem suspiciunt, a cuius nutu se tuaque omnia dependere existimant. Quamobrem

rem qui per has oras peregre proficiuntur, non raro stupent ad horrendas actiones, quæ ex ist hac constitutione Politica fluunt, & vi cuius unus homo omnia potest, ceteri autem omnes nihil prorsus valent; tanto enim intervallo a se distant Despota & ejus subditi, quantum esse solet inter artificem & vilia quædam automata. Inimo animus subditorum etiam ad omnem humanitatis sensum occaluisse videtur, ut durissimam servitutem heroica, ut ita dicam, patientia ferant, suam existentiam flocci facientes, & manum exosculantes Despotæ, qui feroci suo affectui satisfacturus, nefandum in modum ipsos privat vita, unico & proprio hominum bono, quod tranquille possidere deberent, sed quæ tota quanta a meo Principis arbitrio in his oris dependet.

§. III.

Quicunque igitur conditionem popolorum Asiaticorum attente consideraverit, non potest non animadvertere, eandem sub imperio Despotico nequaquam felicem esse; attamen Philosophi, causam hujus Despotismi investigaturi, in sententiarum divortia plerunque abeunt. Nonnulli enim ex itinerariis cognoscentes, quod populi tantum non omnes Asiatici despoticus subsint imperio, phænomeni Politici adeo constantis Phyllicam quandam adsumserunt causam, atque ab ipso soli Asiatici clima te hunc effectum repetere non dubitarunt. Enimvero, quum in vulgus etiam notum est, quod in vasto illo terrarum tractu, quo amplissima comprehenditur Asia, non una deprehendatur sic dicta Zona, sed quædam regiones sitæ sint in zona torrida, aliæ autem in temperata, & aliæ denique in frigida, & singulæ Zonæ in diversa dispescantur climata; evidens est, quod per Asiam diversa admodum obtineant climata: adeoque si forme-

regiminis ab ipsa dependerent cæli indole, necessario se-
 queretur, non Despotismus modo, sed innumeræ alias
 imperii formas, pro diversitate climatum diversas, per
 Asiam dari; siquidem diversæ caussæ diversos omnino
 effectus producere debeant. Deinde quum per Euro-
 pam, Africam & Americam eadem obtineant climata, quæ
 per Asiam, par etiam postularet ratio, ut despotismus quo-
 que per has orbis partes vigeret. Ast in Europa duo
 tantummodo sunt imperia despota, Asiae vicina, sed in
 quibus etiam olim aliæ fuerunt imperii formæ; In A-
 merica duo magna fuerunt imperia despota, quibus
 circumcirca contigæ sunt nationes liberæ & incertis er-
 rantes sedibus: Africani partim sunt subjecti suis Despo-
 tis, partim quoque hi barbari in suis libere vagantur de-
 sertis. Præterea si ab ipso climate dependeret Despotis-
 mus Asiaticus, sequeretur, talem regiminis formam tem-
 per & ubique per hanc mundi partem obtinuisse. Sed
 constat ex Historia Sacra, quod Israëlitæ primum Heroi-
 co, tum Judiciali & denique Regio imperio paruerint.
 Docent etiam annales, quod veteres Persæ ab hoc ser-
 vitutis jugo fuerint immunes, quamvis suis gavisi sint
 Regibus. Hoc quodammodo comprobat Persarum Re-
 gis, CYRI, judicium, qui rogatus a suis, ut in feraciorem
 terram ipsos deduceret: Ergo, inquit, ad serviendum vos
 parate: Mollis terra, molles & demissæ indolis homines
 producit: non ejusdem est regionis, fructus & viros edere
 generosos. Quibus verbis haud obscure indicat hic Prin-
 ceps, Persas suo tempore justa gavisos libertate, dum a-
 liæ gentes Asiaticæ, fertiles terras incolentes, rigidæ ser-
 vitutis molestias sustinerent. Esto autem, quod climata
 aliquantum influant in constitutionem corporum, cer-
 tum nihilominus est, quod nulla detur caussa physica,
 quæ intensissimum naturale desiderium se suosque con-
 servandi, nec non suam promovendi felicitatem, in ho-
 mine

mine penitus extinguere possit, nisi vel educatio vel præjudicia quædam longo usi inveterata, glaucomate velut oculis objecto, faciant, ut homines inde ab infantia perverba adoptent principia tam circa veram felicitatem, quam circa officia sibi & aliis præstanta.

S. IV.

Fundamentum Despotismi modo memorati derivant nonnulli ex primitiva parentum potestate in suos liberos, quam primis temporibus illimitatam prorsus fuisse opinantur. Ex qua hypothesi ulterius concludunt, quod quum homines postea in majores societates coaliuerint, & de norma actionum inter se conveniscent, parem potentiam in subditos suos sibi vindicaverint, qualem in suos liberos haud ita pridem habuerant; qui proinde non prius destiterunt, quam imperium despoticum obtinuerint. Fatemur equidem, multa ab eruditis esse disputata de fundamento potestatis Parentum in suos liberos, ubi alii ad generationem, alii vero ad occupationem, nescio tamen quam, alii ad pactum tacitum inter parentes & liberos, vel etiam ad consensum liberorum præsumit, provocare solent. Quæ tamen singula ex nostra opinione subtilius, quam verius disputantur. Nam si rem ipsam consideremus, omnis hæc potestas ab amore parentum in sobolem suam erit derivanda, ulterius non extendenda, quam benevolus hic adfectus permiserit. Si enim scire velimus, cur Parentes liberorum suorum sollicitam adeo gerant curam, & ipsorum actiones tam attente dirigant, proxima & unica hæc videatur, quod sobolem suam impense diligent. Enimvero despotismus Asiaticus adeo est remotus a blando amoris affectu, ut extra sphæram humanitatis esse videatur. Potentia enim Principum Asiaticorum & felicitas subdi-

torum

torum res contrariae esse videntur, illa crescente, haec decrecere debet. Præterea nemo adhuc demonstrare potuit, quod Patresfamiliarum primi ævi illimitatum in familias suas vel habuerint vel exercuerint dominium, quale nec ipsius rei natura postulat, nec ex lege naturali derivari potest. Et si forte quidam parentum tate sibi vindicaverint, humanitas tamen procul dubio ipsos continuit, ne privilegium hoc miserabile exercent. Sed ponamus tantisper, ne morosi videamur, Parentes antiquissimis temporibus absolutum jus vitæ & necis in suam sobolem habuisse, quis tamen sibi persuaderet, quod, familiis incivitates coalescentibus, graves illi Patresfamiliarum jus directorium uni penitus cesserint. Adeoque civitatum copula hac demum conditione facta fuisse videtur, ut singuli Patresfamiliarum pristinum jus in suos retinerent, sed jam conjunctis consiliis ac viribus partim sese defenderent ab ingruentibus periculis, partim etiam communem promoverent utilitatem: & proinde in primis civitatibus obtinuerunt formæ regiminis temperatae, non autem Despotismus. Denique quum potestas Parentum in suos liberos ubique terrarum eadem ferme fuisse videatur, si ex illa Despotismus Asiaticus foret repetendus, par Despotismus ubique locorum ingravescere debuit, quod tamen manifestæ repugnat experientiæ.

§. V.

Alii rursus, qui ceteris acutius sese videre existimant, in eam ingressi sunt opinionem, quod fundamentum Despotisimi Asiatici querendum sit in imperio Theocratico, quale olim in populo Judaico imprimis obtinuit. Scilicet quum omnes populi in eo convenient, quod exsistenter supremus cœli terræque Monarcha, qui homines &c o-

& omnia cetera moderatur; igitur hi Philosophi opinantur, quod formatis civitatibus, cives illos potissimum directores actionum suatum adsumferint, de quibus crederent, quod propriori Numinis familiaritate fruerentur, & quibus proinde voluntatem suam manifestasset. Et quum Spiritualis DEI esentia rudibus eorum ingenii parum conveniret, igitur invisibilis DEI visibilem imaginem ac legatum inter homines esse Principem sibi perivaserunt; cui proinde vix minorem, quam supremo Numini, exhibuerunt cultum, adeoque in homagium vel sponte sua ipsi detulerunt imperium Despoticum, vel ipsi, tale sibi arroganti, resistere piaculum duxerunt. Denique quum Theocratia in populum Judaicum singularem aestimationem per totum orbem sit consecuta, ex illa Despotismum Asiaticum praeципue deducunt. Sed hi fore sunt Philosophi, qui argutias suas in fraudem veritatis Revelatae aliis obtrudere nituntur, id operose agentes, ut maiestatem Oraculorum Diuinorum, in S: a S:a contentorum, faltem ex obliquo infringant. Enimvero sive Historiam sive sanam consulamus rationem, opinio haec fulcris adeo firmis non est suffulta, ut sibi constare possit. Docent enim annales vetustissimi, imperia & quidem Despotica per Asiam invaluisse, quando populus Israëliticus adhuc esset in lumbis Patriarchæ Abrahami. Adeoque fundamentum Despotisimi Asiatici ex Theocratia, quæ in populo Judaico obtinuit, aliam vero ignorat omnis ævi Historia, frustra repetitur, nisi quis sibi concipiatur causam suo effectu posteriorem. Nec sana ratio illi succenturiatur opinioni, qua statuitur, Theocratiam occasionem stabilendi Despotismum præbuuisse. Quisque enim, qui seipsum & res obvias attente contemplatur, facile animadvertisit, se præter suam spem atque industriam maximis a DEO beneficiis maectari, dum e contrario ad Despotæ etiam nomen sape totus contremiscat;

miscat; adeoque inter Theocratiam & Despotismum Asiaticum eadem non raro deprehenditur differentia, quæ inter ipsam bonitatem & horrendam intercedit barbariem & immanitatem; adeoque nec altera alterius esse potuit causa.

§. VI.

Missis jam aliorum circa præsens argumentum opinionibus, nos existimamus, fundamentum Despotismi Asiatici ab ipsa indole populorum, hanc orbis nostri partem incolentium, esse derivandum. Rem itaque ipsam in hunc ferme modum nobis concipimus. Populi Asiatici, imprimis illi, inter quos viget Despotismus, omnibus fere naturæ bonis, quæ ad vitam molliter & ssvaviter transfigendam requiruntur, luxuriant, iidem porro nimio calore solis tantum non torrentur, quo fit, ut affectus eorum sint admodum vehementes; quare muneribus sibi concessis impotenter plerumque utuntur. Hinc corpora eorum redduntur mollia & gracilia, in quibus domiciliis, quum minus commode habiter hospita anima, animi quoque Asiariorum ad feminineam mollietatem proxime accedunt. In languido hocce statu omnia timent, & sicut experientia ipsis constat, quid pravitas humana efficere possit ac soleat, proinde alios in quos forte suspicio cadit, prævenire operose student, ne ab illis præveniantur. Multiplicato igitur humano genere, & constitutis per Asiam civitatibus, probabile est, quod cives Principi unius supremam, non tamen illimitatam, detulerint reipublicæ directionem, atque imprimis civitatis defensionem contra hostes forte irrumpentes. Necessarium igitur fuit, ut Principi facultas concederetur, milites comparandi, qui ad ejus nutum pro publica excubarent salute. Non multo autem post animadverterunt hi Principes,

cipes, quod milites ipsorum essent aptissima ambitionis eorum instrumenta, modo benevolentiam eorum ita si- bi devincirent, ut eorum opera pro arbitrio uti possent. Ulterius quam necessitas ipsa postularet, ut Princeps illi- mitatum in suos milites haberet imperium, quippe quos natura servidos aliter in officio continere non potuit; idem non prius quievit, quam parem in reliquos quo- que cives obtinuit potestatem: quæ molimina non fe- gniter promoverunt tam duces, quam milites, probe gnari, quod ipsorum auctoritas in imperio Despotico sit maxima. Etsi forte quidam ferociores essent, quam ut be- neplacito Monarchæ sese sponte sua subjicerent, hos o- pe militum suorum vel statim opprimebat, vel intra e- um, quem voluit, subjectionis gyrum valide coercebati. Unde apparet, quod Despotismus, qualis est Asiaticus, non consensu gentium, sed vi fuerit introductus, siquidem nemo facile consentiat in aliorum commodum cum manifesto suo incommodo. Hinc quoque acutissimi Politici ad- firmant, metum esse fundamentum vel saltem vinculum imperii Despotici. Nec habita populorum Asiaticorum molitiei ratione, probabile est, hos de eo admodum sollicitos fuisse, quantam sibi potestatem adsereret ipso- rum Princeps, quum voluptatibus suis alte immersi, ni- hil ultra desiderarent, quam ne in harum fruitione tur- barentur. Atque ita, nemine resistente, magis magisque crevit Potentia Principum Asiaticorum, donec ad Des- potismi culmen adscenderet.

§. VII.

Sicut quo maius est corpus aliquod animale, eo etiam major requiritur vis ad illud ita movendum, ut singulæ partes suis functionibus inserviant, ne totum ni- mia mole torpidum aut iners evadat, atque ita vitium

quoddam contrahat; ita quoque in corporibus Politicis, si eadem subsistent, requiritur, ut vis motrix sit proportionalis corpori movendo seu regendo. Quamdiu igitur civitates angustis circumscribuntur limitibus, civiumque numerus non ita magnus est, limitatum imperium eisdem gubernandis sufficit, quare etiam pleraque veterum Republicæ temperata regiminis forma gavisa sunt; aucta vero imperii amplitudine, ut plures nationes, lingua, moribus atque institutis saepe diversissimæ, in unum corpus ita coalescerent, ut civitas consistere posset, necessarium fuit, ut liberæ regiminis formæ mutarentur, & vastissimus terrarum tractus, ne mole sua laboraret, illimitato subjiceretur imperio. Aecidit isthac mutatio tam aliis gentibus, quam præcipue Romanis, quorum respublica, dum angusta fuit, libertate gavisa est, eadem autem opibus atque provinciis deinceps ita aucta, ut orbis fere Dominus esset, forma regiminis tantum non in Despotismum fuit mutata. Hæc ipsa si ad Asiam nunc applicemus, fatendum omnino est, plurimas in hac orbis parte primitus fuisse civitates, quæ continua distinebantur litibus, donec altera alteram oppressem suu subjiceret dominio, quæ scena tamdiu fuit repetita, donec amplissima hinc existerent imperia, eademque incolis tantum non luxuriantia. Quod si igitur ponamus, regna hæc pristinam libertatem retinuisse, sine dubio personis admodum diversis ad imperii administrationem concurrentibus, in multiplici adeo civitate non potuerunt non gravissimæ factiones existere, quæ vires suas tamdiu invicem librassent, donec totum imperium ad incitas & quidem sine spe emergendi fuisset redactum. Ut huic malo obviā iret Princeps, & numerosissimas nationes in officio contineret, non alia supererat ratio, quam ut Despotico emineret imperio, atque instar Herculis clava sua contunderet omnes, quos vel nova m-


liri vel tergiversari animadverteret. Atque hæc etiam est ratio, quare in populosisimis Asiae imperiis necessarius est, qui ibidem obtinet, Despotismus, dum minor hominum multitudo laxioribus habenis alibi sine suo & Principis incommodo regi potest.

§. VIII.

Introducto semel per Asiam Despotismo, non admodum est mirandum, habita in primis institutorum ratione, quod ipse deinceps altas ibidem egerit radices. Principes enim ad hoc potentiae culmen evecti, nihil intermisserunt, quod ad ipsos in hoc gradu confirmando conduceret. Aptissimum igitur huic fini obtainendo habitum est adminiculum, subditos perpetuo densissimæ ignorantiae populo involvere, adeo ut vix inteligerent, se homines esse, nedum quænam officia tam Principi quam sibi servanda incumberent. Persvalsum sibi inde a teneris haberent subditi, se omnia Despotæ, hunc autem nihil ipsis debere. Hæc ipsa comprobat illustris MONTESQUIEU: *L'extrême obéissance suppose de l'ignorance dans celui qui obéit, elle en suppose même dans celui qui commande: il n'a point à délibérer, à douter, ni à raisonner, il n'a qu'à vouloir. Dans les états despotiques, chaque maison est un empire séparé. L'Education qui consiste principalement à vivre avec les autres, y est donc très-bornée: elle se réduit à mettre la crainte dans le cœur, & à donner à l'esprit la connoissance de quelques principes de Religion fort simples. Le savoir y sera dangereux, l'émulation funeste, & pour les vertus, Aristote ne peut croire, qu'il y en ait quelqu'une de propre aux esclaves. L'éducation y est donc en quelque façon nulle. Il faut être tout, afin de donner quelque chose, & commencer par faire un mauvais sujet, pour faire un bon esclave. Quam-obrem*

obrem ignorantiam & crassissimam superstitionem, qua
detinentur populi a Semo oriundi, inter caussas Despotis-
mi Asiatici merito referimus. Atque hæ, ut nobis qui-
dem videtur, rationes sunt sufficientes explicando De-
spotismo, qui per Asiam obtinet, quibus si quis alias
æque probabiles addere forte voluerit, easdem libenter
adoptabimus, modo caveat, ne Sacros turbet fontes,
quorum integratatem nos prolixè, uti par est,
veneramur.

S. D. G.



Til Herr Auctoren,
Min Vän!

Uti det Lårdoms-prof, Du lagt i våra händer,
Som rörer Furstens magt i verldens östra länder,
Har Du på värdigt fått den vittra själen nögt,
Din insigt och Din smak, samt snabba snille rögt.
Gack! derför ömma Vän, at friska Lagrar skåra,
Dem Du bland vittert Folk, nu får med heder båra.
Gack! Skynda til det mål Du ädelt syftar til;
Din Dygd och Ditt förstånd, sjelf Himlen lôna vil.

*Af Din trogna
CARL WAHLBERG.*